

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Q. Horatii || Flacci Sermo-||nvm, sev Satyra-||rvm, sev
Eclogarvm libri || duo: Epistolarum li-||bri totidem.**

Horatius Flaccus, Quintus

Francofurti ad Moenum, 1577

2.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-306)

A *cum carceribus sese effudere quadrige.* Ordo autem horum verborum, & sententia, hæc est: Quemadmodum (inquit) cum vngula rapit currus carceribus missos, id est, cum equi vngulis solidis & continuis præditi, id est, *μῶνυχες*, seu *μῶνυχες*, corripunt, id est, celerrimè trahunt currus è carceribus patefactis dimissos: auriga instat iis equis, qui suos præcurrunt, & cursu præuertunt, nihili faciens & contemnens eos equos, qui sunt à se præteriti, & qui inter ultimos currunt. vngulâ posuit, pro vngulis: vngulas pro equis vngulatis.

INSTAT EQVIS AVR. SVOS VINC.] insequitur proximè equos antecedentes, & suos cursu præuertenteis. sic suprâ epist. ad Loll. lib. 1. nec precedentibus insto.

PRÆTERITVM] equum, quem præterit, ac superauit.

CEDAT VTI CONVIVA SATVR] sic Lucretius lib. 3. Cur non, ut plenus vita conuiuia, recedis? Extat pulcherrima Dionis Chrysostomi oratio, *χαριδυμος* inscripta, in qua comparat multis verbis hanc vitam cum conuiuio variis cibis atque epulis referto, homines cum conuiuiis.

B CRISPINI] Philosophi Stoici, de quo Satyra 6. lib. 2. Dum, qua Crispini docuit me ianitor, edo. & Sat. 3. huius lib. neque te quisquam stipator, ineptum Præter Crispinum, scētabitur. & Sat. 4. ecce Crispinus minimo me prouocat. scripsit hic versus numero quidem multos, pondere autem leucis.

SATYRA 2.

A Mbubaiarū collegia, pharmacopola,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne,

Mæstū, ac sollicitū est cantoris morte Tiquippe benignus erat. contrâ hic, ne prodigus esse

Dicatur, metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo, durâq; famē depellere possit.

Hunc si percuncteris, aui cur, atq; parētis
Præclaram ingrata stringat malus inglu-

C uie rem,

Omnia cōductis cōemēs obsonia nummis:
Sordidus, atque animi quod parui nolit haberi,

Respondet. laudatur ab his, culpatur ab illis.

Fufidius vappæ famā timet, ac nebulonis,
Diues agris, diues positus in fanore nūmis.

Quinas hic capiti mercedes exsecat: atq;

Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget.

Nomina sectatur modò sumta veste virili

Sub patribus duris tironum. maxime, quis non,

Iupiter, exclamat, simulatque audiuit? at in se

Pro quaestu sumtū facit. hic? vix credere possis,

Quam sibi nō sit amicus: ita ut pater ille,
Fabula quem miserū nato vixisse fugato

Inducit, nō se peius cruciauerit, atq; hic.
Si quis nunc quærat, quò res hæc pertinet? illuc.

Dū vitat stulti vitia, in cōtraria currūt.
Malthinus tunicis demissis ambulat: est,

qui

Inguen ad obscænum subductis vsque facetus.

Pastillos Rufillus olet: Gorgonius hircū.
Nil medium est. sunt, qui nolint tetigisse, nisi illas,

Quarū subsuta talos tegat instita veste.
Contrâ, alius nullam, nisi olenti in fornice

stantem.

Quidam notus homo cūm exiret fornice:
Virtute esto, inquit sentētia dia Catonis.

Nā simulac venas inflauit tatra libido:
Huc iuuenēs æquum est descendere, non

alienas

Permolere uxores. nolim laudari, inquit,

Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operæ pretiū, procedere rectè

Qui mæchis non vultis, ut omni parte laborent:

Vtq; illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara, cadat dura inter sæpe pericla.

Hic se præcipitē tecto dedit: ille flagellis
Ad mortē cæsus: fugiēs hic decedit acrem

Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:

Hic perminxerūt calones. quin etiā illud

- A *Accidit, ut cuidam testeis, caudamq; salacem
Demeteret ferrum: iure omnes: Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda?
Libertinarum dico: Sallustius in quas
Non minus insanit. quam qui mœchatur.
at hic si,
Qua res, qua ratio suaderet: quaque modestè
Munifico esse licet, vellet bonus, atque benignus
Esse: daret quantum satis esset: nec sibi
Dedecoriq; foret: verum hoc se amplectitur uno:
Hoc amat, hoc laudat: matronam nullã*
- B *Vt quondam Marsæus amator Originis ille,
Qui patrium mimæ donat fundumque Larèmq;:
Nil fuerit mi, inquit, cū uxorib. unquã
Verum est cum mimis: est cū meretricibus: unde
Fama malū grauius, quam res trahit. an Personam satis est, non illud, quicquid ubique
Officit, euitare? bonã deperdere famam, Rem patris oblimare, malum est ubicunque. quid inter-
Est in matrona, ancilla, peccésne togata?
Villius in Fausta Syllæ gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, pœnas dedit vsque, superque,
Quam satis est pugnis cæsus, ferroque pe-
Exclusus fore, cū Longarenus foret intus.
Huic si mutonis verbis mala tãta vidēti
Diceret hæc animus: quid vis tibi? numquid ego à te
Magno prognatum deposco consule cunnum,*
- Velatumq; stola, mea cū cōserbuit ira?
Quid responderet? magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet, pugnantiaque istis,
Diues opis natura suæ: si tu modò rectè
Dispensare velis: ac nō fugienda petēdis
Immiscere? tuo vitio, rerum ne labores,
Nil referre putas? quare, ne pœniteat te,
Desine matronas sectarier: unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niueos, virideisq; lapillos,
Sit licet hoc Cherinte tuum, tenerum est femur, aut crus
Rectius: atque etiam melius persæpe togata.
Adde huc quòd mercem sine fucis gestat aperte
Quod venale habet, ostendit: nec, si quid lactat, habetque palam: querit, quo turpia celet.
Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies (ut sæpe) decora,
Molli fulta pede est: emtorē inducat hiantem,
Quòd pulchre clunes, breue quòd caput, ardua ceruix.
Hoc illi rectè: ne corporis optima Lynceis
Contemplere oculis: Hypsæa caciore, illa,
Quæ mala sunt, spectes. ô crus, ô brachia: verum
Depygis, nasuta, breui latere, ac pede longo est.
Matrona, præter faciē, nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circūdata (nã te
Hoc facit insanum) multa tibi tum officient res:
Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,*

- A Ad talos stola demissa, & circumdata
palla:
Plurima, quæ inuideant purè apparère ti-
birem. (est,
Alter a nil obstat Cois tibi: pæne videre
Vt nudâ: ne crure malo, ne sit pede turpi:
Metiri possis oculo latus. an tibi mauis
Insidias fieri, pretiumq; auellier antè,
Quàm mercem ostendi? leporem venator
ut alta
In niue sectatur: positū sic tangere nolit:
Captat, & apponit. meus est amor huic
similis: nam
Transuolat in medio posita, & fugientia
captat.
- B His cène versiculis speras tibi posse dolores,
Atque astus, curasque graueis è pectore
pelli?
Nōne cupidinibus statuit natura modum?
quem,
Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum,
Querere plus prodest, & inane abscondere soldo.
Num, tibi cum fauceis vrit sitis, aurea
queris
- C Pocula? num esuriens fastidis omnia præter
Pauonem, rhombumque? tument tibi cū
inguina, num, si
Ancilla, aut verna est præstò puer, impetus
in quem
Continuò fiat, mälis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo Venerem,
facilemque.
Illâ: post paullo: sed pluris: si exierit vir:
Gallis hanc Philodemus ait: sibi, quæ neque
magno
Stet pretio, neque cunctetur, cū est iussa
venire.
Candida, rectaque sit: munda hætenus,
ut neque longa,
- Nec magis alba velit, quàm det natura, D
videri.
Hæc ubi supposuit dextro corpus mihi
leuum:
Ilia, & Egeria est: do nomen quodlibet
illi.
Nec vereor ne, dum futuo, vir rure
recurrat:
Ianua frangatur: latret canis: undique
magno
Pulsa domus strepitu resonet: vepallida
lecto
Desiliat mulier: miserã se conscia clamet:
Cruribus hæc metuat: doti deprensa: ego
met mi.
- E Discincta tunica fugiendum est, ac pede
nudo:
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique
fama.
Deprendi miserum est: Fabio vel iudice
vincam.
- M. Tigellium Hermogenem præstantem musicum & cantorem fuisse, Cæsarique dictatori primū, deinde etiam Augusto, & Cleopatæ mirificè placuisse tradunt Acro & Porphirio. Addunt iidem, Horatio inuisum fuisse, quod eius versus, parum numerosos, parumque modulatos esse dixisset.
- AMBUBAIARVM COLL.] Ambubaia, mulieres fuisse impudicas, & infameis, suspicari licet: & ita putat Porphirio: quem plerique secuti sunt. vnde sint appellata, non est facile diuinare. vitur hoc nomine Suet. in Nerone. *Cenitabat nōnumquam & in publico, naumachia præclusa, vel Martio campo, vel Circo maximo, inter scortorum totius vrbs, ambubaiarumq; ministeria.* Alij a Baiis, & voce peregrina ambub nominatas esse putant: alij ab an, vel am, quod est circum, & Baiis. Ego ambubaia non mulieres, sed *ἀνδρῶν*, id est, tibicines quosdam barbaros, aut certe a barbara voce *ambub*, quæ tibiam significat, appellatos esse dico: idque non solum a P. Mercerio, collega meo, viro linguæ Hebraicæ scientissimo audiui, verum etiam in vno exemplari manuscr. antiquissimo, ad oram libri annotatum reperi: quod item mihi Scaliger huius linguæ non ignarus confirmavit. Si quis tamen tibicinas fuisse contendet, non tibicines non magnopere repugnabo, aut laborabo: tibicines tamen malo.
- PHARMACOPOLÆ] pharmacopolæ fuerunt olim turpes, & inhonesti. vendebant enim pharmaca simulata, & speciosa, atque horū pharmacorum vim miram esse iactabant, re vera po-

A pulo verba dabant: idem etiam vnguenta ostentabant in praesentia odoris grati, breui post tempore fugientia, & euanescentia. postremò venditabant omne genus fuci ad candorem & ruborè neque verum, neque natium ori, cuti, comisque appingendum. Appellatur autem à nonnullis nomine Latino vnguētarij. quod mihi non probatur. hos enim, *μυροπόλας* Græci dicunt, non *φαρμακοπόλας*.

MENDICI] Simeo Bosius putat per mendicos, *ἀργύρας* significari, homines egenteis, qui vel praestigijs populo obiectis, vel naniis recitandis, & similibus victum quaeritant, & stipem colligunt, & flagitant.

BALATRONES] Balatronem nomen cuiusdam nepotis, aut parasiti fuisse quidam putant. Horat. Satyr. ult. lib. 2. *cum Seruilio Balatrone*: ab eoque huiusmodi ordinis, & ingenij homines ita esse appellatos: alij balatrones à barathro dictos esse, quasi barathrones. Sex. Pompeius Festus scribit balatrones, & blatéas esse bullas luti ex itineribus: vel, quod de calceamentorum soleis eraditur. Varro de re Rustica: *Videbo vos iam, balatrones, & huc afferam meum corium, & flagella.*

CANTORIS MORTE TIGELLI] Tigellium Hermogenem Sardum commemorat etiam in Sat. 3. huius lib. *Sardus habebat ille Tigellius hoc.* & 9. *Inuideat quod & Hermogenes, ego canto.* & 10. *Demetri, teq, Tigelli, Discipularum inter in beo plorare cathedras.* & iterum tertia huius lib. *Vi quamuis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque Optimus est modulator.* Eundem puto significari à M. Tullio epistola ad Fab. Gallum lib. 7. his verbis, *Ille autem (nempe Phamea) qui sciret se nepotem bellum tibicinem habere, & sat bonum cantorem, discessit à me, ut mihi videbatur, iratior. Habes Sardos venaleis, alium alio nequiores.* per nepotem Phamea tibicinem, & cantorem, hunc Hermogenem, Tigellium (inquam) significari arbitror.

BENIGNVS ERAT] id est, beneficus & liberalis, ut infra eadè Satyra: *at hic, si Quà res, quà ratio suaderet, quaq, modeste Munifico esse licet, vellet bonus, atque benignus Esse, &c.* vide annot. ad Od. 17. lib. 1. Erat autem hic Tigellius, munificus in tibicines & tibicinas, mimas, pharmacopolas, & id genus homines.

INOPI DARE N. A.] amico inopi id dare nolit, quo frigus, &c.

PRÆCLAR. INGR. STRING. M.] id est, cur amplissimas à maioribus suis relictas fortunas comedat, ac deuoret, &c. ego puto idem dictum esse Latine ab Horatio, quod à Græcis dicitur *σφαίραν ποιήσαι τὴν ἑστίαν*: id est, ex patrimonio suo pilam, aut pilulam facere. Athenæus lib. 4. *δείπνος, ἕνα μὲν οὐκ ἄσποντον μνημονεύει Ἀλέξιστον Κνιδίαν Διόδωρος ἔπειτα πρὸς τὸν ἑστίαν δύο σφαίρας ἀπέδειξε τὴν πατρῶαν ἑστίαν, ἕτως ἵτα μὲν ἀπαντα κατὰ μαθήσασιν.* id est, Diodorus perditus dictus, biennio patrimonium suum pilam reddidit: ita improbè omnia deuorauit. Idem in Phædro, *Σχολῆ γὰρ τὴν πῶν ἥλιον, σχολὴ λέγεις. Ἐπιχάρμίδης ὁ μικρὸς ὄν πένθ' ἡμέραις Σφαίραν ἐποίησεν τὴν πατρῶαν ἑστίαν, Οὕτω συνεστρόχυσεν ἵτα μὲν καὶ ταύτην.* id est, serò verò per solem, serò dicis. Epicharmides paruus quinque

diebus pilam reddidit paterna bona. Ita impudenter & improbè, & celeriter ea conglobauit, atque in pilam conformauit. idem ferè valet illud, quāuis alio modo dictum, epist. ad Vallam lib. 1. *vbi omne Verterat in fumum, & cinerem.* stringat igitur, id est, imminuat, & in pilam conformet, & ita deuoret. nam quicquid deuorare volumus, vel manu, vel dentibus & lingua in sphaerā, seu globum conformamus, deinde deuoramus, vel gutture ipso stringimus, & extenuamus. Sed cur ingluuiem ingratam dixit? fortasse quia nepotes, & prodigi, luxuriosique homines, qui amplum à patre, aut à maioribus acceptum patrimonium paucis annis perdunt, ac dissipant, praebent se in illos ingratos, neque illis eam, quam debent, gratiam referunt. quid ita? quia consumpto patrimonio ad inopiam & egestatem redacti videntur iam nihil à maioribus suis accepisse, afferuntque hanc nonnullis opinionem, nihil sibi ab illis esse relictum: quod illis turpe est. Ita quibus ornamento esse debent, iis sunt de decori: ergo ingrati.

MALVS] *κακὸς*, profusus, dissolutus, nequam.

CONDUCTIS NUMMIS] fanori acceptis. ex quo fanus mox ab eodem merces nominabitur.

ANIMI PARVI] pusilli animi, *μικροψυχος*, sat. prox. seq. *Dij bene fecerunt, inopis me, quodq, pusilli Finxerunt animi.*

VAPPÆ] hominis omnia sua effusè largientis, ac perditis, ut dixi superiore satyra, vel hominis nullius bonæ frugi, & nequam: quod idem valet.

DIVES AGRIS, DIVES] hic versus reperitur etiam in epist. ad Pisones de Arte poetica.

QUINAS HIC CAP. MERCED.] id est, quinas vsuras. si vsurae sint semisses, quinae vsurae semisses quadragesimo mense aequabunt sortem: si centesima, vicesimo. Itaque finge me ab hoc improbissimo faeneratore centum aureos fanori accepisse, & quinas centesimas in singulos mensibus promississe: vicesimo mense fors aequabitur. sunt enim soluendi in singulos menses aurei quini. finge me quinas semisseis promississe: quadragesimo mense vsurae sortem aequabunt. Nam duo aurei cū dimidio, in vnumquemq; mensem vsurae nomine erūt ei numerādi. *exfecat* autē excudendum curauit, secutus auctoritatem vnus codicis Vatic. Rainutij Card. Iann. Faer. Tornef. quod interpretor, demit, detrahit, deducit. Atque hanc scripturam videtur agnoscere Porphyrio: idque ex eius verbis quamuis corruptis intelligere licet: Sic enim ille: *exigit autem capiti, ad illud pertinet, quod auarissimi faeneratores cum dabant vsurariam pecuniam, primi mensis vsuras capiti ipsius sortis statim demebant: hoc est ergo exigit.* apud Porphyr. legendum *exfecat* supra, vbi est *exigit autem*. Nam *exigit* interpretatio est verbi *exfecat*, quae postea in contextum translata est.

CAPITI] sorti, *τῷ κεφαλαίῳ*.

QUANTO PERDITIOR QVISQVE] quanto quisque est luxuriosior, & *ἀσπώπερος*, tanto faenerator ille grauior ei vsuras imponit. vnus & alter liber manuscr. habent *proditor*: quos non sequor.

NOMINA

A **NOMINA SECT. &c.]** nomina sectatur adolescentulorum, qui nuper admodum sumserunt virilem togam, quorum sciat duos, & præparcos esse patres, id est, quos sciat à patrib. suis nihil, aut parum admodum abradere, atque exprimere posse ad cupiditates suas explendas. quærit filios familias admodum adolescētes, qui modò virilem togam sumserunt, quib. pecuniã grandifanore pacto expensam ferat. notum est *nomen* v. furpari & pro eo, quod nobis debetur, & pro eo, quod aliis debemus. vterque enim & creditor & debitor *nomina facere* dicitur, cum hic refert in codicem nomen creditoris, ille debitoris. Vebant autem leges & senatusconsulta pecuniam filiis familiã, & minoribus viginti quinq; annis fãnerari: qui hinc tirones appellantur.

SVB PATRIBVS DVRIIS TIR.] ordo est hic, Sectatur nomina tironum sub patribus duris, id est, adolescentium, qui sunt sub imperio patrũ durorum, non ita pridem sumpta virili toga. Per duos patres autem, præparcos & nimiũ tristis, ac seueros significat. Sic M. Tull. in Lelio de Demea & Mitione, *Quando in altero duritas, in altero comitas?* sic enim legendum esse, non, vt vulgò, *duritas*, alibi admonuimus.

AD IN SE PRO QVÆSTV.] dicit fortasse aliquis, huc fãneratorẽ sumptº in se facere, quæstui pares, & cõuenientes: minimè minimè verò: imò tenuissimè, & sordidissimè viuit, seseque miserandum in modum excruciat, Cum in vulgatis cod. legeretur *at ipse*, ego ex fide cod. Rainut. Card. Faern. vnus Vatic. *in se* reposui. Est autem in se facere sumtum, ea emere, quæ sibi sint ad vitium, cultumque necessaria.

HIC? VIX CRED. POSS.] infirmat, & remouet, quod obiectum fuerat.

QVAM SIBI NON SIT AMICVS] quàm sit sibi inimicus, atque infestus, dum Genium suum defraudat: dum omnia non solum iucunda, verum etiam necessaria naturæ denegat. **PATERILLE]** Menedemus seipsum excrucians, quia filium suum Cliniam nimia duritia & seuitia sua in Asiam proficisci, & patriam fugere coegerat. ex quo dicta est *εαυτ̄ πικρόχρημος* comœdia.

C **MALTHINVS]** existimã complures hinc Mæcenatem describi, ac notari, propterea quòd ille solutus & discinctis tunicis ambulasse, & mollissimè vixisse traditus sit: Malthinum autem ab Horatio ficto nomine esse appellatum, vel *από τ̄ μάλθης*, quæ est pix cum cera mista: aut, vt docet Suidas, *από τ̄ μάλαχθ̄*, id est, cera mollita: vel *από τ̄ μάλαχθ̄*, quod molle significat: vnde veteres malthas, molleis appellari voluerunt, inquit Nonius. ego vt cetera vera esse fateor, ita non puto, Horatium vsque eò vel improbum, vel imprudentem, vel maledicendi cupidum fuisse, vt ne Mæcenati quidem optimè de se merito, & gratiosissimo apud Augustum viro pepercerit. Verisimilius mihi quidem est, alium quempiam eiusd. ætatis conficto nomine ab eo designari, qui nimis longis, & demissis, & solutis tunicis vteretur. Verum tamen si quis contendet pertinacius atque improbius, Mæcenatẽ, non vllum alium, ab Horatio

significari, præsertim cum constet, vt supra dixi, Mæcenatem tunicis ad talos demissis, & solutis vsu esse, non pugnabo.

TUNICIS DEMISSIS] tunicis longis, & talarib. *ποδήρεις & ποδηνεκέεις* appellant Græci. erant autem tales vestes parum viriles. stola contra, muliebres vestes, demissæ ad pedes erant. infra Satyra ead. *Ad talos stola demissa, &c.*

EST QVI INGVEN AD OBS.] est alius multum illi dissimilis, qui tunicis vtitur brevioribus, & vix partes corporis inhonestas regentibus.

FACETVS] ridiculus est: mouet risum.

PASTILLOS] globulos, & quasi panes rotundos. massas teretis, ex rebus odoratis compositas: ex quibus suaves odores efflantur: quibus vtuntur mulieres, & viti mulierum similes, nempe molles, ac delicati: Græci vocant *τηροχικός* alij *διαπλάσματα*, & vnguenta interpretantur. Nonius: *Panis proprietatem à pascendo putant veteres existimandam.* Varro de vita populi Romani lib. 1. *Pastillos & panes hæc vocabula pastus, quod esse, pascere dicebant.* conficiuntur etiam hodie pastilli odorati. sunt & alij pastilli, quibus vtuntur medici: qui quid à malagmatis, & emplastris differant, docet Cornelius Celsus lib. 5. cap. 17. hic versus iteratur infra Sat. 4. huius lib. Seneca epist. 1. lib. 13. profert hunc dimidium versum: sed legisse videtur Ruccillus. sic. n. ille. Descriptur infamem, & nimis notabilem delicijs Horatius Flaccus quid ait? Pastillos Ruccillus olet. Dares nunc Ruccillum.

OLET] epist. 19. lib. 1. *Vina ferè dulces oluerunt mane camæna.* Terent. Eunu. *olet vnguenta de meo.*

HIRCVM] vel odorem illum teterrimum, qui sub alis esse solet: vel animal ipsum sua natura pessimè olens. vide supra Od. 12. epod. *Angruis hirsutis cubet hircus in alis.*

NISI ILLAS QVARVM SVBS.] matronarum vestitus hic erat stola, & palla. infra eadem Sat. *Ad talos stola demissa, & circumdata palla.* matronas igitur significat. assuebatur autè instita extrema stola. Itaque per vestem subsutam, pannum tenuẽ, ac mollem seu latã fasciam, & prætextam significari puto, quæ nihil aliud est, quàm ipsa instita, id est, faciola, quæ stolam ambibat: *αετιπιδιον* appellari à Græcis docet Porphyrio. Ouid. lib. 1. de arte amandi, *Este procul vitta tennes, insigne pudoris, Quæque regis medios instita longa pedes.*

CONTRA ALIVS NULLAM NISI OLENTI IN FORN. ST.] contra alius nullam tangere velit, nisi eã, quæ in fornice prostet: nisi mercenariam, seu meretricem, seu venalem. in hoc versu *ce* syllaba postrema vocis *fornice* quæuis excipiat a voce initium capiente à duabus consonantibus, *st*. nihilominus breuis manet. sic apud Tibull. eleg. 1. lib. 1. *O quantum est auri, pereat. potiusq; smaragdi, siue zmaragdi.* & apud Catull. carm. de Pelei & Thet. nupt. *Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri.* & Virg. lib. 10. *Ponite spes sibi quisque.* Horat. Sat. seq. *Si quod sit vitium nõ fastidire. Strabonem Appellat pat̄ pater.* & Sat. 5. *insani ridentes premia scriba.* iam fornix appel.

A appellatus est, locus, vbi prostituta pudicitia mulieres erant, à locis arcuatis, vt docet Isidorus.

MACTE VIRTUTE] sic saepe loquitur Liuius, vt lib. 10. *Tu quidem macte virtute, diligentiaq, esto.* & Cic. Tulcul. 1. *Macte virtute, ego enim ipse cum eodem ipso non inuitus errauerim.* idem lib. 12. epist. ad Att. *Macte virtute, mihi quidem grati: Et erit gratius, si, &c.* Virg. lib. 9. *Aeneid. Macte noua virtute puer: sic itur ad astra.* Macte autem valet magis aucte, ex quo *mactare*: quod valet magis augere. Cic. lib. de rep. *ferunt laudibus, mactant honoribus.* mactus verbum pontificale, & quo utebantur in sacris & libationibus. *Mactus hoc vino inferio esto.* quae verba sic explicat Arnobius lib. 7. aduersus gentes. *Quid est aliud quam dicere, tantum esto mactus, quantum volo: tantum amplificatus, quantum iubeo, &c.*

INQVIT SENTENT. DIA CAT.] id est, inquit Cato, periphrasis. sic Lucretius lib. 5. *Democriti quod sancta viri sententia ponit.* i. Democritus. Id. lib. 3. *Nec tam doctus equa pullus, quam fortis equi vis,* id est, fortis equus. & Horat. Od. 2 1. lib. 3. *Narratur Et prisca Catonis Sape mero caluuisse virtus.* cuius generis sup. ad Od. 5. lib. 3. plura collegimus exempla. *dina* autem habent libri aliquot veteres.

TÆTRA LIBIDO] Venerea libido. sic Catullus amorem *tatrum morbum* appellat. *Ipsa valere opto, Et tatrum deponere morbum. O di reddite mi hoc pro pietate mea.*

DESCENDERE] verbo apto, & significante vsus est, in locis enim depressis, & defossis erant ganea: videlicet sub fornicibus, à quibus etiã fornice ganea sunt appellata.

PERMOLERE] corrumpere, adulterare, *μοιχεύειν.* tralatio est. sic & Theocr. eid. d. *Εἴπ' ἀγχι Κορύδων, τὸ χρονον ἦρ' ἐπ' μύλλαι Τήναν πᾶν κωάνοφρον ἰρωπίδα,* quem locum indicauit mihi Fuluius Vrsinus vir humanissimus. Lucill. *Hunc molere, illum autem ut frumētum vannere tu vis.* improbius dixit Catull. in Gellium, *Hoc ne ipsi accideret, patrii perdespuit ipsam Vxorem, &c.* vbi vulgò mendosè legitur *perdespuit.*

MIRATOR CUNNI CVPI.] hic Cupienius longè ab illo superiore dissidebat, vt pote qui matronas solas amaret, & miraretur. *cunnius, ἐξέραι muliebris.*

ALBI] albat. per cunnum album, matronam, & ingenuam mulierem significat, quia matrone, albata, id est, stola amicta: in publicum prodibãt: libertina, atrata.

AVDIRE EST OPERÆ PRET.] incommoda, pericula, aduersos denique casus adulterorum enumerat. est operæ pretium (inquit) vobis, qui mœchis sua flagitia ex sententiã succedere non vultis, audire quo pacto hi omni ex parte malis omnibus exerceantur ac vexentur. Est autem imitatus Hor. versus Ennianos, *Audire est operæ pretium, procedere rectè Qui rem Romanam, Latiumq, auferere vultis.* operæ pretium, id dicimus, quod tanti est, quanti opera in eo insumta. itaque operæ pretium facere, & inanem operam sumere, planè sunt contraria: & cum ita loquimur, o-

peræ pretium est audire, operæ pretium est spectare, hoc significamus, non perditurum cum operam, qui audiat, neque eum, qui spectet. Marc. Tull. Lib. 2. accus. *Iam verò Censores quemadmodum in Sicilia isto pratore creati sint, operæ pretium est cognoscere.* Idem lib. 4. de finib. at, quo utantur homines acuti argumento ad probandum, operæ pretium est considerare. T. Luuius 1. lib. ab vrbe cond. *Facturusne operæ pretium sim, si à primordio urbis res populi Rom. perscripserim, &c.* Terent. in Andr. *Audireq, eorum est operæ pretium audaciam.* Horat. Epist. ad August. *Sed tamen est operæ pretium cognoscere, quales Custodes habeat, &c.* & Sat. 4. lib. 2. *Est operæ pretium duplicis pernoscere iuris Naturæ.*

ILLE FLAGELLIS AD MORTEM CÆS.]

C. Crispum Sallustium significari dicunt: qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio cum Fausta eius vxore, flagellis ab eo casus est.

DEDIT HIC PRO CORP. NYM.] honesto homines loco nati, & locupletes deprehensi in adulterio, pretio sese redimebant: humiles & pauperes non item, vt iam cognoscemus. huiusmodi pretia autè Homerus ἰδύσσ. θ. μοιχάγια nominat, eo loco, vbi tantum illum Demodoci persequitur de Marte, & Venere in adulterio deprehensis, & à Vulcano tenuissima vinculorum textura irretitis.

PRO CORPORE.] vel ne sibi cauda salax ferro demeteretur: vel ne stupraretur.

HUNC PERMINXERVNT CAL.] id est, calones aliū præciderunt, seu prædicarunt: pudicitiam ei eripuerunt. erat & alia pœna grauior in pauperes deprehensos Atheniensibus, vilitata, quã *πλῆμον* & *ραφανιδωσι* appellabãt à verbo *πλῆμειν*, quod est vellere: & a verbo *ραφανιδωσι*, quod est raphano podicem perfodere: quam Catullus describit his versibus ad Aurelium. *Ah, tum te miserum, maliq, fati, Quem attractis pedibus patente porta Percurrent raphaniq, mugilesq.* Aristophanes Νεφ. Τιδ', ἢν ραφανιδωτῆ γε πειθόμενος, πέφρα τεπλῆν, ἔξει πνὰ γλώμνι λέγειν τὸ μὴ εὐρύπρωκτος εἶναι, id est quid si raphanis perfossus fuerit sua voluntate, cinereque vultus, poteritne negare se esse impudicum?

VT CVIDAM TESTEIS, C. QVE SAL.] cum antea in omnibus libris impressis legeretur, quidam t. c. q3 f. D. ferro, ego a duobus codicibus calamo exaratis admonitus, in quibus scriptum reperi *quoidam*, coniecturam feci totum hunc locum sic esse legendum, *vt cuidam testeis, caudamq, salacem Demeteret ferrum:* quæ quidè mea coniectura ita mihi vera, & certa videtur, vt neque quenquam in his litteris exercitatum a me dissensurum: neque loci huius sententiam cuiquam obscuram futuram putem.

CAVDAMQVE SALACEM.] penem, caudam turgentem nominauit sat. 7. lib. 2. *turgentis verbera cauda.* κέρκον, & ἔραν appellat Græci.

GALBA.] Seruius Galba iuriconsultus, & idè adulter.

MOECHATVR.] propriè hoc verbo vsus est, pro vxorem alienam, mulierem ingenuam adulterare.

QVA R. Q.] Qua: id est qua ratione, &c. significat

A ficat eos, quoque esse reprehendendos, ac vituperandos, qui libertinas ita perditè amant, ut neque rei, neque existimationi suæ parcentes, aut consulentes, maximis iacturis, summoque dedecore, atque infamia earum complexus emant.

MVNIFICO ESSE LICET.] sic habent omnes ferè libri veteres. in his tres Vat. & Fabr. Iann. Torn. Nicot. Russ.

BENIGNVS] *beneficus*, liberalis: ut ferè semper: itemque interdum bonus.

DARET QVANTVM S. E.] daret intra modum, patrimonium suum non profunderet.

HOC SE AMPLECTITVR VNO] hoc vno se venditat: hoc vno sibi placet: hoc vno se amat.

HOC AMAT, HOC LAVDAT,] sic habent omnes libri veteres, quos hic nactus sum, Russard. Cleric. Nicot. ceteri: neque aliter ij, quibus Romæ vsus sum.

ORIGINIS] *mimæ* cuiusdam & meretricis nomen. quidam libri vet. habent, *Origenis*, quos non sequor. Cómémorantur hæ tres nobiles meretrices, cum ab aliis, tum à Seruio: quæ vno tempore, nempe ætate Ciceronis, floruerunt: Citherris, Volumnij liberta, M. Antonium in castra secuta, quæ à Virgilio Lycoris appellatur, quam Gallus perditè amauit: Arbuscula, Origo. profert huc locum Seruius commentar. in Gallum.

B **NIL FVERIT MI (INQVIT)]** hic Marcellus his verbis sibi blandiebatur, suamque hoc modo nequitiam, ac libidinem extenuabat.

VERVM EST CVM M. E. C.] hæc iam sunt Horatij, ita respondentis, quid tum postea, si te ab vxoribus alienis abstines, cum mimas, & meretrices impotentissimo amore persequaris? quæ quidem amorem fac tibi minus esse damnosum: at est tibi turpior: grauioremque tibi infamiae notam inurit: multo autem maior existimationis, & famæ, quam rei viro bono habenda ratio est.

QVAM RES] quam res familiaris: quam bona, & facultates.

AN TIBI ABVNDE P. S.] dicit non satis esse personam, cum qua adulterium committitur, nempe matronam, vitare: sed operam præterea dandam esse, ut existimationi nostræ consulamus, & ut ne rem nostram familiarem amoribus, & libidinibus exhauriamus. M. Tull. Phil. I. M. Antonio nimium mimæ cuiusdam amorem maledicti loco obicit his verbis. *Venisti Brundisium, in sinum quidem, & complexum tuae mimule. Quid est? num mentior? quam miserum est, id negare non posse, quod sit turpissimum confiteri?* hoc idem & Verr. Acc. lib. 5. *Huc tertia illa producta per dolum, atque insidias ab Rhodio tibicine, maximas in istius castris effecisse turbas dicitur, cum indignè pateretur vxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier, itemque Aeschryonis honesto loco nata, in conuentum suum mimi Isidori filiam venisse. Iste autem Annibal, qui in suis castris virtute putaret oportere, non genere certari, sic hanc Tertium dilexit, ut eam secum ex provincia exportaret.*

C **REM PATRIS OBLIMARE.]** consumere, perdere. verbum est à lima deductum.

PECCESNE] *peccésne* habent quidam libri veteres: sed legendum tamen puto *peccésne*. & ita

loquitur Iat. VI 11. *Cum faber incertus scamnum, D faceréine Priapum.*

TOGATA] matrona adulterij conuicta, ac damnata, ut quidam volunt. alij simpliciter meretricem interpretantur: & melius. Nam mulieres, quæ vulgò expositæ erant, in publicum togatam prodibant, & togis utebantur, ut à matronis stolatis distinguerentur. M. Tull. Philipp. 2. *Summisti virilem: quam statim muliebrem togam reddidisti.* Sic enim hunc locum restituerunt ex antiquissimo codice manuscr. Romano Muretus & Faernus. Mart. *Vis mage quæ meruit, mitte-re: mitte togam.*

VILLIVS IN FAVSTA SYLLÆ G.] Fausta Fausti Syllæ filia, Antonio Miloni nupsit, quem Horatius hoc loco Longareni nomine videtur appellare. Nam quod Porphyrio, & Acro per Villium volunt Milonem significari, per Longarenum, adulterum: id probare nullo modo possum, cum alias ob causas, quas prætermitto, tum quod Horatius non exsolueret id, quod promisit, (promiserat autem se expositurum, quantis incommodis afficiantur, quantisque in periculis versentur adulteri) si faceret Annum Milonem Faustæ virum domo sua excludi, pugnis cædi, ferro peti: Longarenum autem adulterum impunè mæchari, & ex animi sententia in ædibus Milonis eo inuito, ac malè multato cum Fausta delicias facere. Itaque arbitror vel Milonem hoc loco Longarenum nominari, ut intelligamus Villium adulterum ad Faustam introire meditantem, & conantem, à Milone & eius seruis fuisse pessimè acceptum: vel potius (quod quibusdam placet) vtrumque, & Villium, & Longarenum fuisse adulterum: sed Longareno benè processisse: Villio verò infeliciter, neque quemquam mouere debet, quod Villium Fausti generum dicit. ita enim appellat, non quod reuera sit Fausti gener, sed quod eius filiam subigat, ac permolat: quemadmodum epistola ad Loll. I. lib. 1. *sponsos Penelopæ* appellat eos, qui proci erant, non sponsi, eò quod Penelopam sibi quisque vxorem exoptaret.

EXCLUSVS FORE] foris, & forem, & fore Terentio, Plauto, T. Liuius vitata. Teren. Heaut. *Mane, mane, quid est quod tam à nobis grauiter crepuit foris?* Plaut. Mil. glor. *Sed foris crepuit hinc à vicino senis.* T. Liui. lib. 40. *forem ex ade Luna, qua in Auentino est, ruptam tulit.* Dicta est autem foris, siue fores, quod olim apud veteres Romanos foras, non intro aperiebantur: ut scribit Seruius ad illum Virgilij locum *Æn. I. foribus cardo stridebat ahenis.* Hinc fieri videmus, ut apud Teren. & Plautum, vbi quis domo prodit, crepent fores. Nam qui domo foras prodibat, antequam fores aperiret, crepitu illo significabat iis, qui per viam publicam iter faciebant, & eam fortè præteribant, ut sibi cauerent, ne à foribus laderentur.

LONGARENVS] alter adulter Villio felicior: seu, ut alij, Milo.

INTVS] domi: ἐνδοῦ, ut loquuntur Græci, & ἐνδοῖ. Theocr. eid. 16. *Συρακσο. Ενδοῖ Πραξινόα, Εὐ. Γοργὸ φίλα, ὡς χρονοῦ ἐνδοῖ.* ibid. *Ὀνάδῳ μεγαλῶς, ὅτι μοι τὸ ἐρέφος μένει ἐνδοῦ.*

HVIC] Villio adultero, cui malè processit.

M V T O

A MVTONIS] penis, caudæ falacis, mentulæ.
Lucil. libro 8. *Lasio iam lacrymas mutoni absterget
amica.*

MALA TANTA] quibus tam malè multatur adulter.

ANIMVS] pars animi concupiscens. πὸ ὀρε-
κτικὸν μορίον.

MAGNO PROGN. DEP. COS. C. &c.]
nobilem matronā, magnis maioribus pgnatam.

VELATVMQVE STOLA?] & feminam
stolatam? id est matronam? Nam (vt docet Festus)
*matronas eas ferè appellabant, quibus stolas habendi
ius erat.*

MEA CVM CONFERB.] cùm tentigine
rumpor.

DIVES OPIS NAT. SVÆ] αὐτῆς. suis
opibus contenta.

TV SIMODO RECTE] hæc coherent
cum superioribus, hoc sensu. Quanto rectius te
monet natura rebus ad victum, cultumque ne-
cessariis cumulata, nihilque externum desiderās,
si modò tu fugienda cum expetendis confunde-
re, ac permiscere nolis? quidam libri habent. *si tui
modo:* quæ scriptura dulcior, & concinnior est.

TVO VITIO, RERV MNE I. N.] nihilne
B interesse putas utrùm tuo vitio, id est, immodera-
ta, & vitiosa cupiditate labores, an rerum, id est,
pænuria, & egestate? atqui multum interest utrùm
quis suo, an rerum vitio laboret. exempli causa,
qui sitiens aquam in medio positam, ac paratam
spernit, vinum vel capitis periculo desiderat, suo
vitio laborat: qui bibere non vult, nisi aureo po-
culo, suo vitio laborat: qui verò præclare secum
agi putat, si aqua suam explere detur: sed tanta in-
opia conflictatur, vt ne aqua quidem suppetat, is
rerum vitio laborare dicendus est.

DESINE MATR. SECTARIER.] libri a-
quot manu scr. habent, *Desine sectari matronas.*
quos non sequor.

NEC MAG. HVIC INTER NIVEOS, &c.]
nec magis tenerum est femur, aut crus rectius ma-
trona nobili, & vnionibus, ac smaragdis ornata,
subintell. quàm togata. quin sæpe togata femur
tenerius est. significat neque nobilitatem, & ge-
neris splendorem, neque ornatum & cultū cor-
poris ad voluptatem rei Venereæ valere, sed natu-
ram. *huic* autem legendum, & ita habent om-
nes libri manuscr. non *hinc*, quod quidam περι-
201 arbitrantur: neque quemquam mouere de-
bet, quòd suprà proximè vsus sit numero multi-
tudinis, *matronas*. nam mutare numerum, scri-
ptoribus est vsitatum.

C NIVEOS, VIRIDEISQVE LAP.] id est,
vniones, & smaragdos: quibus ornantur matro-
na nobiles.

SIT LICET HOC CHÆRINTE T.] licet
ames matronas vnionibus, & smaragdis, & auro
collucenteis. Nam sic hūc locum intelligendum
arbitror, *hoc*, nempe vniones, & smaragdos & ce-
tera ornamenta in matronis admirari, iisque capi,
& teneri. sermonem ad Charintum conuer-
tit, qui matronas gemmis collucenteis sectabatur.
Alij hunc Charinthum, puerum formosum,

mollem, & impudicum fuisse, & gemmis, tanquã D
feminam, ornatum incesisse dicunt, hoc modo
explicantes: *Sit licet hoc Charinte tuum*, hoc, nem-
pe, vniones & smaragdos gestare. quod mihi non
displicet. Iam verò quòd in nonnullis libris ma-
nuscr. reperitur scriptum, *sit licet hoc Charinte tuo:*
nullo modo probo.

MERCEM S. F. GESTAT] togata. mercem
autem intellige eam corporis partem, quam me-
retrix habet venalem. non dissimulabo, me in
aliquot libris manu scr. Nicotiano vno, duobus
Rustard. Cleric. reperisse *gestat apertam: Quod
ven. b. ost.*

HONESTI] pulchri, καλῶ.

IACTAT,] coniunge negationis copulã cum
hoc verbo, & cum his, *habetq. palam*, hoc modo,
nec iactat, habetque palam, si quid honesti est, id
est, nec venditat, aut ostentat, & in luce collocat,
& proponit ob omniū oculos, si quid pulchri est.

QVERIT] repete & hic negationem, hoc
modo, nec, si quid pulchri habet, id ostentat, ac
pra se fert: deformitatem autem, aut vitium ali-
quod corporis occultare studet. Lucretius con-
trà ait hoc omnium mulierum impudic. tam esse
commune, vt sua mala suos amatores celare co-
nentur: bona in promptu habeant, lib. 4. his ver-
bis, *Nec Veneres nostras hoc fallit: quo magis ipsæ
Omnia summopere eos vite post scenia celant, Quos
retinere volunt, astrictosq. esse in amore, &c.*

REGIBVS HIC MOS EST, &c.] eandem
cautionem, ac diligentiam in faminis, quæ libidi-
nis causa coluntur, vult adhiberi, atque in equis.
Nam quemadmodum in equis pedum præcipuè
habenda ratio est, cauendumque ne capitis, & cer-
uicum pulchritudine capti, in pedibus, & tibiis,
quæ maiorem curam desiderant, simus negligentes:
sic in femina parū debet cōmouere prudentē
amatorē (si quis amator prudens reperiri potest)
facies, & forma: alia enim sunt, quæ lōgè maioris
sunt ponderis quæq. in re Venerea magis domi-
nātur. Xenophon in libello περὶ ἵππων ei, qui
equum sit emurus, præcipit vt pedes primū inspi-
ciat, & diligenter cōsideret. Quemadmodū enim
(inquit) ad diem nullus vsus sit, si partes earum su-
periores admodum sint ornata, magnificæ, affa-
brè factæ: fundamenta autem sint vitiosa, malè ma-
F

teriatæ, ac ruinosa: sic & equus bellicus inutilis ad
bellum futurus est, si sit κακός, id est, pedibus vi-
tiosis, etiã si cetera omnia eius membra sint opti-
ma, ac præstantissima. sic in lib. de arte poëtica, si-
militudinem sumit à regibus. *Reges dicuntur mul-
tis vrgere culullis, Et torquere mero, quem perspexif-
se laborent, An sit amicitia dignus, si carmina con-
des, Nunquam, &c.* sic M. Tull. frument. in ea par-
te, quæ est de decumano frumento, *Solere aiunt
Barbaros Reges Persarum, ac Syrorum, plures uxores
habere: his autem uxoribus ciuitates attribuere
hoc modo: Hac ciuitas mulieri redimiculum prabeat,
hac in collum, hac in crineis: ita populos habent vni-
uersos non solum conscios libidinis sua, verum etiã ad-
ministratos. eandem istius, qui se regem Siculorum esse
dicebat, licentiam, libidinemq. fuisse cognoscite.* qui
locus Ciceronis (vt dicam ἐν παρῶδῳ) videtur è Pla-
tone

A tone petitus, Alcib. primo. mendosè autem puto legi in quibusdam libris, *apertos*, cum videatur potius legendum *opertos*, ut habent cod. Vatican. 2. Iannoët. Tornes. duo Nicot. Ruffard. totidem, Clericanus, meus. Librorum veterum auctoritatè hac ratione adiuuare, & confirmare possum, quòd perspicuè Horatius mulierem cum equo comparat. Quemadmodum autem utile est ei, qui equum emiturus est, opertum inspicere: ne, dum caput, & ceruicem, & cluneis, & ceteras parteis corporis in promptu positas admiratur, cæcus sit in pedibus considerandis, & ita fallatur: sic interest amatoris, meretricis amore potius, quàm matronæ capi: quia meretrix neque tegit eas parteis, quas habet venaleis, neque ostendit eas, quæ sunt pulchriores.

FACIES] ὄψις, forma. Neque verò facies solum de homine, aut equo, sed & de re alia qualibet dicitur. Virg. Georg. 1. in extr. *Tam multa scelerum facies*. Idem lib. 4. de apibus. *Vi bina regum facies, ita corpora gentis*. M. Tullius pro Flacco. *Facies ciuitatis*. Idem Philipp. 8. *Facies senatus*.

INDUCAT] decipiat, in fraudem impellat.

B **HIANTEM**] inhiantem, cupidum, capitis pulchritudine captum. quod accideret, si emeret apertum. Sat. 5. lib. 2. *recoctus Scriba ex quinqueuero cornuum deludet hiantem*.

QUOD PULCHRÆ CLUNES, &c.] hæc sunt, quæ cupidum equi emtorem inducere possunt: & ita describitur pulcher equus à Virgil. 3. Georg. *illi ardua ceruix, Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga*. Itaque reges inspicunt equos opertos. Animaduertendum, *clunes*, ab Hor. usurpari genere famineo, quod notat Nonius.

ARDNA CERUIX.] Xenoph. eo quem supra commemoravi, libro, *ἄπο γε μὲν τῶ σέρνο ὁ μὲν αὐτῶ αὐτῶ μὴ, ὡς περ κέρως, παρρητικῆς πεφύκοι, ἀλλ' ὡς περ ἀλεκτρυόνος, ὀρθὸς παρὲς τὴν κεφαλὴν ἦκοι*. id est, à pectore autem ceruix quidem eius ne, ut aprī, prona, seu præceps nata sit, sed, ut galli gallinacei, recta ad caput eat. Oppianus lib. 1. *κωπη. μετῆρον, ὑψικέρων* appellat, quo loco equum pulchrum describit: & Hom. *ἰλ. κ. δ' ὅω δ' ἐριώνχνας ἵππους*: id est, ut interpretatur Eustath. *ὑψικέρων*: duos equos arduis ceruicibus: & Virg. eo, quem paullo antè posui, loco, *illi ardua ceruix, &c.*

HOC ILLI RECTE, NE CORP. &c.] id est, hunc illi morem rectè instituerunt, ut ne quis venustissimas corporis parteis in equo acutissimè cernat, vitiosas autem, & imbecillas prætereat.

LYNCEIS OCULIS] acutissimis. Idas & Lynceus Aphareii filij: quorum Lynceus minor natu tam acuta oculorum acie fuisse traditur, ut ea per densos etiam quercetorum truncos, ac stipites, atque adeò vsque ad inferos vim suam exprimeret. vide Pausan. Mess. de Lynceo. Apoll. lib. 1. *Ἀρρον. Λυγκεύς δὲ καὶ ὄξυτάποις ἐκέκαστο ὀμμασιν, εἰ ἐπὶν γε πῆλεις κλέος, ἀνέρα κείνον Ρηίδαις καὶ νέρθε κτ' ἔχθορος ἀνάλζεσθαι*. id est, Lynceus autem acutissimis instructus erat à natura oculis, siquidem verum est quod de eo ferunt, illum faciliè etiam sub terram ad inferos oculorum aciem contendisse Theocr. *Διοσκῶρ. ἀκρίβης ὀμμασι Λυγκεύς*. id est, acribus oculis Lynceus. & Pind. *Νεμ. εἰδ' ἰ. κείνε γὰρ ὀπιχθονίαν γένετ' ὄξυταποι ὀμμα*.

Aristoph. in Pluto. *Βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὄξυτερον τῶ Λυγκεύς*. Erasmus hinc legit *Lyncei*, nō *Lynceis*. ego utramque lectionem probabilem esse puto: sed hanc receptam magis Horatianam.

HYPSEÆ CÆCIOR, &c.] cæcis oculis ea, quæ mala sunt, cernas, id est, non cernas. tale est illud Od 7. lib. 3. *nam scopulis surdior Icarī Voces audit adhuc integer*. Hypsæam mulierem coniectare licet cæcam fuisse, vel parum vidisse: nihil autè, præter coniecturam, comperti de ea habemus: nisi quòd Porphirio tradit, Planciam Hypsæam vitiosos oculos habuisse: quam hinc ἐν παρόδῳ carpit Horat.

Ô CRVS, Ô BRACHIA.] hæc sunt exclamationes admirationis plenæ, hominis togatas coniectantis potius, quàm matronas: & in togatis alia probantis: alia improbantis: quæ quidem potestas cuius datur, cum in eis liceat non solum crura, utpote quæ breuioribus vestibus vtantur, sed etiam reconditas corporis parteis spectare: quod idem non licet in matronis.

VERVM DEPYGIS, N. B.] hæc improbat amator in togata. depygis est, quæ nateis habet macras, gracileis, & depressas: iccirco reiicienda. notæ sunt contra puellæ illæ *καλλιπυγοί*, id est, pulchris natibus, apud Athen. lib. 12. quæ, cum essent pauperis patris filia, atque indotata: nō alio nomine præclarè & splendidè fuerunt collocata, quàm quòd à duobus fratribus honesto loco natis, *καλλιπυγοί* habitæ, & repertæ sunt. ex quo templum Veneri posuerunt: quam *καλλιπυγον* nominarunt. mulierem depygem *ὑπόπυγον* & *καλλιπυγον* appellat Aristophanes. pyga nomen Græcum est, quo nates significantur. vtitur eo infra Horatius hac saty. in extr. *Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama*. ex quo *πυγίζεν* verbum obicænum, quo vtitur Theocritus *εἰδ' ε*. Depygis autem habent aliquot libri veteres. quod æquè rectum est. nam ὁ Græcum, est u Latinum.

NASUTA] nasus nimum longus in puella, aut muliere, non laudatur. Catull. *Salve nec minimo puella naso*: nec pes longior. idem Catull. *ibid. Nec bello pede, nec nigris ocellis, Nec longis digitis*. sic Theocritus *ἐραπίταις, ἢ φεριαίς. Μάνης πὶ πᾶν νύκτα χοίξεται ἀ καλαμάια*: id est noctu tibi adiacebit vates in calamis nascens & habitans: hoc est locusta: ad quem locum notat interpres: *ἔστ δὲ ἄκρις ἐν τῇ καλαμῇ γινομένη. καὶ καλεῖται μάνης. ἴσως οὖν, &c.* sequitur, *ἔστ δὲ χλωρὰ καὶ περμηκίς τὸς ἐμπεσοῦν πόδας ἐχουσα. καὶ λεπὴς καὶ σιωχῶς αὐτὸς κινῶσα*: id est, Est autem locusta, quæ in calamis nascitur, & vates appellatur. Fortasse igitur, &c. Est autem pallida seu viridis, & longis pedibus, & gracilibus, & assidue eos mouens.

MATRONÆ, PRÆTER] id est, ex omnibus autem matronæ membris nullum præter faciem aspicere licet.

NI CATIA EST] hæc matrona præter decorum vestitu breuissimo utebatur, ut crurum pulchritudinem in promptu haberet, atque ostentaret. iccirco ab Hor. urbanè notatur.

DEMISSA VESTE] longa, & talari veste, quæ mulierum & maximè matronarum propria

A est: vt supra diximus, ibi *Malthinus tunicis demissis, &c.* Nam meretrices breuioribus utebantur, vt & paulò antè diximus.

SI INTERD. P.] si matronam amabis: si matronæ concubitus concupisces: qui & lege vetitus est: & multis difficultatibus obseptus atque obuallatus.

VALLO CIRCUMDATA] difficilia expugnata. tralatio ducta à re militari.

HOC] difficultas potiendi.

MVLTA TIBI TVM OFFICIENT RES] quidam libri veteres habent, *tum officiant res:* quæ scriptura ferri potest: nonnulli *dum officiant res:* quæ reiicienda est. alij omnes, vt vulgati, & vt edidimus, *tum officient res.*

CINIFLONES] cinerarij, qui calamistris cinea inurunt.

STOLA] vestis muliebris, vt diximus. *M. Tull. Philip. 2. & tanquam stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo collocauit.* ex quo *Cæsar Caligula Liuiam proauiam suam, Vlysem stolatum* nominare solebat, significans, eam mulierem esse astutissimam.

B **PALLA]** hic appone distinctionis notam. *Est autem palla, mulieris honestioris vestimentum,* inquit *Non. Marcellus.*

PLVRIMA] plurima denique alia, quæ tibi obstant, quo minus totum matronæ corpus plane, & purè abs te perspici possit.

INVIDEANT] tralatio est, obstant, ac prohibeant, quo minus tibi res purè appareat.

ALTERA] togata, seu meretrix.

NIL OBSTAT COIS TIBI,] sic mihi videtur distinguendus hic locus: non, vt in vulgatis: in quibus distinctionis nota locatur post verbum *obstat.* erant autem *Coæ,* vel, vt alij volunt, *Coæ vestes,* tenuissimæ, mollissimæ, ac delicatissimæ: & veluti vitreæ ac pellucidæ, à *Co,* vel *Ceo* insula, vbi fiebant, sic appellatæ. *Tibull. lib. 2. eleg. 3. Illa gerat vesteis tenuis, quas femina Coa Texuit, auratas disposuitq; vias.* Taleis vesteis, vitreas appellat *Varro. quorum vitrea toga ostentant tunica clauos.* Sed non celabo lectorem, quosdã libros veteres habere: *Alteram nil obstat. Chlorin tibi pane videre est, Vt nudam.* quæ scriptura non est reiicienda.

C **METIRI POSSIS OCVLO LATVS]** ita omnia habet in promptu, vt solo aspectu, longè, an breui sit latere, iudicare possis.

PRETIUM QVE,] supra dixit eam apertè, quod venale habet, ostendere, & mercem sine fuco gestare. quocirca conuenienter nunc pretij nomine vitur.

LEPOREM VENATOR] verba sunt amatoris matronarum.

POSITVM SIC] sic appositum, id est, sine cursu, & labore venationis sibi appositum: vel ita positum, vt manu capere possit: sed priorem explicationem magis probo. & ita usurpauit *sat. 2. lib. 2. Vix tamen eripiam, posito pauone velis quin Hoc potius, quam gallina, tergere palatum,* & *satyra vlt. lib. 2. Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbes.* sic autem, accipiendum *δεικτικῶς,* vt *Od. 11.*

D *lib. 2. iacentes Sic temere.* Talis erat *Xerxes* ille *Darij* filius: (sic paruis magna componere licet) qui negabat se caricas *Atticas* gustare velle venaleis ad se allatas, & ita sibi appolitas: sed tum demum se libenter & iucunde comelurum, cum eam terram, quæ eas genuisset, & extulisset, armis partam obtineret.

CAPTAT ET APPONIT] hunc locum in omnibus libris, & manuscriptis, & excusis deprauatum restitui, vnus litteræ immutatione facta, coniectura duntaxat ad veram scripturam ductus, à nullis codicibus adiutus: miror autem tam manifestum mendū, vel vniquam admissum esse: vel semel admissum, tandiu in codicibus hæsisse. Ne longum faciam, huius loci sic emendati hæc sententia est. Quemadmodum (inquit amator matronarum) venator in medijs frigidibus, altissimisque niuibus leporem sectetur, id est sectari non recuset: quem, si ei ab alio captus, & sine ipsius labore detur, atque apponatur, ne tangere quidem velit: nunc autem per niueis, & frigora sectatur, & captat, atque ita captum summa cum voluptate sibi apponi iubet: sic ego faminas in

E medio positas, & meretrices sperno: matronas, quæ non nisi cum labore, & periculo expugnantur, peto & persequor. ita locutus est *sup. Od. 2. epod. Pavidumq; leporem, & aduenã laqueo gruem, Iucunda captat premia.* & proximo versu idem verbum usurpat. Cum ego hæc scripsissem, & edidissem quattuor abhinc annos, vir quidam doctissimus à me dissentiens, *Pseudacronem* secutus, vulgatam huius loci explicationem iam à me explosam, & abiectam, de integro excitauit, ac reuocauit in medium, verba ipsa *Acronis* usurpans, nihilque de suo præterea afferens. sic enim ille: *Amator, inquit, cantat quomodo venator libenter sectetur in niue leporem: sic appositum in serculo tangere nolit: & mox addit, (hoc enim est apponit) suū amorem esse similem &c.* sequitur deinceps. *& cum versiculos dicat, satis indicat, versus superiores pro canticis accipi debere, vt explicauit.* hætenus ille. Ille verò vehementer fallitur, cum suo *Acrone,* cuius verba cadentia tollit: & piget me toties explicationem tam absurdam refellere: Quid enim ineptius, quàm ita loqui: *amator cantat,* id est, cantando exponit, *vt,* id est quo modo, *venator sectetur &c.* & *apponit,* id est addit ad superiora, quæ dixit, seu cantauit, *meus amor, &c.* Nam primùm hoc contendo, non posse ita Latine dici, vt illi volunt, *cantat vt,* seu *quomodo venator, &c.* deinde *apponit,* pro addit, seu adiungit iis, quæ dixi, non reperietur in tota lingua Latina. Præterea hæc verba *Hiscène versiculis,* nullo modo arguunt, neque declarant, superiora illa esse cantata. Nam si hoc verum esset, personæ omnes, quas hic loquentis facit *Horatius,* cantarent, cum versiculi sint: quod ineptum atque absurdum dictum est. Postremò in his verbis, *meus est amor huic similis,* est *αὐτῷ δόσις.*

F At inter similitudinis partem eam, quæ assumpta est ad aliquid illustrandum, & *ἀμύδιον,* id est redditionem, nihil debet ex persona scriptoris interponi. quod hic fieri volunt. essent enim hæc *Horatij* verba, *Cantat & apponit,* illorum ratione.

A tione. Maneo igitur in sententia, & dico, *captat* legendum esse, & *apponit*, explicandum, apponit ad comedendum & cetera, ut supra. Nam piget eadem toties inculcare.

HISCENE VERSICVLIS] loquitur nunc Horatius. & fortasse hæc verba locum errori, & errato dederunt Acroni, & Porphir. & iis, qui eos secuti sunt.

NONNE CVPIDINIBVS ST. N. M.] id est, nonne cupiditates sunt aliqua naturales, eademque à natura finitæ, ac terminatæ? Non sum secutus eos codices veteres, qui habent, *statuat*.

QVEM, QVID LAT. SIBI, QVID S. D.] id est, quem modum, seu finem cupiditatum, utilius est querere, & superuacaneas, minimeque necessarias cupiditates amputare, subaudiendum, quàm cupiditates habere infinitas, minimeque necessarias. modus autem cupiditatum in eo positus est, ut expetamus ea, quæ natura desiderat, & quibus sine dolore carere non potest: ea non expetamus, quibus facile potest carere. hunc igitur locum sic explico studiosorum causa, quibus videtur solet impeditus, atque implicatus. nonne cupiditatibus natura modum constituit, quem querere, videlicet quid natura sibi deesse ferre possit, quid sit dolitura deesse, id est, qua re facile carere possit, qua non possit: & discernere inania, ac superuacua à plenis & necessariis, utilius est, quàm cupiditatibus inanibus, minimeque necessariis æstuarè?

INANE ABCINDERE SOLDO?] id est, inania ab iis, quæ sunt plena, ac solida refecare? inanis est cupiditas esurienti, verbi causa, poscere phasianum, pauonem, acipenserem, & similia: inane est sitienti, vinum Falernum, Calenum, Lesbium desiderare: necessarius est esurienti panis, sitienti aqua: & harum rerum copia, plena & solida est, illarum autem inanis. vide annotat. ad illum locum: *adde, Quæ humana sibi doleat, &c. saty. 1.*

NVM TIBI CVM FAVCEIS V. S.] inductione probat, cupiditates non necessarias esse circumcidendas, & refecandas, neque eis esse villo pacto obtemperandum, hoc modo: quis sitiens malit sitienecari, quàm non ex quolibet vase bibere? quis esuriens nolit alio cibo, quàm pauone, aut rhombo famem explere? Quis igitur libidine inflammatus, cum ei suppetat, & præstò sit ancilla, cuius complexu libidinis flammam restinguat, malit cupiditate rei venereæ excruciarì, matronæ concubitus expetens, atque exspectans, quàm præsentì, & parato remedio uti?

FASTIDIS] fastidiosè aspernaris, ac reicis, ut supra Od. 1. lib. 3. *Somnus agrestium Lenis virorum, non humileis domos Fastidit, &c. epist. ad Iul. Florum lib. 1. Fastidire lacus, & riuos ausus apertos. & Saty. prox. sic nos debemus amici, Si quod sit, vitium non fastidire.*

TENTIGINE RVMPI?] tentigo à tendendo est nominata: quæ significat hoc loco libidinè ardentissimam, per quam alicui penis valdè intenditur. Periculum est autem, ne, quæ nimium tenduntur, rumpantur. hoc igitur periculum, atque hunc tentiginis dolorem, ut parabili & facili con-

cubitu leuet, ac minuat, suadet. fædum ac nefariū illud in Priapeis. *Turpe quidem factu: sed, ne tentigine rumpar, &c.*

PARABILEM] quæ facillè parari potest, & quæ paruo constat, *ἐπιπόρισον, ἐυώητον.*

ILLAM PÒST PAVLLO, SED PL.] id est, illam autem Venerem, seu mulierem, quæ mihi quærenti, quando veniã, aut quando sit ipsa ventura, responderet, pòst paullo, seu post paullū: aliàs quærenti facturane sit mihi sui corporis copiam, responderet se facturam, sed pluris: aliàs responderet, se mihi gratificaturam, si modò exierit vir: hanc (inquam) Philodemus ait Gallis esse relinquendam, seu dandam, tam cãram, ac difficilem, (mala enim solemus hostibus, & inimicis precari, ut annotauimus supra ad Od. 27. lib. 3.) sibi autem optat eam, quæ, &c. Fuit autem Philodemus, seu Philodamus, philosophus Epicureus, idemque poëta: qui cum L. Pisonem aliquandiu vixit: de quo M. Tullius in orat. in Pisonem. *Est quidam Græcus, qui cum isto viuit, homo, verè ut dicam, sic enim cognoui, humanus: sed tandiu, quamdiu cum aliis est, aut ipse secum, &c. & lib. 2. de finibus. bon. & mal. in extr. Credo, Syronem dicis, & Philodamum cum*

optimos viros, tum doctissimos homines. Alij legunt Pihilo, demus, ait: quæ lectio videtur facilior quidem, & planior, verum tamen prior altera probatur magis omnibus eruditis: & fortasse idem significat Martialis lib. 9. in eo epigr. cuius principium est, *Hanc volo, quæ facilis, quæ palliolata vagatur, &c.* sequuntur hi versus, *Postentem nummos ac grandia verba sonantem Possideat crassi mentula Burdegalis.* vocem Gallis, alij explicant ita, ut intelligatur Cybeles sacerdotes, quia cum illi sint euitati, facilius ferre moram possunt. in quibusdã exemplaribus antiquis scriptum est *pòst paullum*. Legenda autem sunt hæc membratim, & singillatim, ut rectè admonet Porphir. nempe hoc modo, *pòst paullo: sed pluris: si exierit vir.*

SIBI, QVÆ NEQVE MAGNO ST. P.] id est, sibi autem optabat subaudi, eam, quæ neque magno constet, neque vocata, longam moram interponat. animaduerte autem, hanc fæminam, quæ non cunctetur, opponi illi, quæ respondeat se pòst paullo venturam, aut differat in id tēpus, quo exierit vir: eam, quæ non magno constet, ei quæ plus poscat, quàm solita sit, aut quàm amator promittat.

MVNDÀ HACTENVVS, &c.] tantam mundi-
tiem, tantumque ornatum adhibens, ut neque cerussa malas candefaciat, aut vlla alia re muliebri expoliat, neque veram corporis staturam crepidarum altitudine augeat: quæ duo in vxore sua improbat Ischomachus apud Xenophon. in Oeconomico his verbis: *ἐχθρὸν ποίνω (ἔφη) ἰδὼν ποτὲ αὐτῶν, ὡς Σώκρατες, εἰπετε μὲν πολὺ μὲν ἡμιμυθία, ὅπως λευκοτέρα ἐπὶ δοκίῃ εἶναι, ἢ ἡ πᾶσι δὲ ἐγκύσει, ὅπως ἐρυθροτέρα φαίνοιο τῆ ἀληθείας. ἡ ποδὲ ἡματα δ' ἔχουσαν ὑψηλά, ὅπως μείζων δοκίῃ εἶναι, ἢ ἐπεφύκει, εἰπέ μοι ἐφ' ἧ, ὡς γυναι, &c. καὶ ἐμὲ ποίνω νόμιζε εἰπὴν, ἔφη ὁ Ἰσχομαχος, ὡς γυναι, μήτε ἡμιμυθία, μήτε ἐγκύσεως χρομασι ἠδεῖσθαι μάλλον, ἢ τῶ σῶ. id est, ego igitur (inquit) cum aliquando ὁ Socrates eam vidissem multa cerussa suffectam, ut*

A didior: multa anchusa, vt rubicundior, quàm re vera esset, videretur: calceis autem vtentem, altis, vt maior, quàm nata esset: dic mihi, inquã, vxor, &c. me igitur hoc dicere puta, inquit Ischomachus, ô vxor, neque cerusiam, neque anchusam mihi tuo colore esse iucundior. eodem pertinent illa Propert. lib. 1. *Quid inuat ornato, &c. Naturãq; decus mercato perdere cultu? Nec sinere in propriis membra nitere bonis?* idem lib. 2. *Vt natura dedit sic omnis recta figura: Turpis Romano Belgicus ore color.*

HÆC VBI SUPPOSUIT] vtitur eodem verbo ad eandem rem Catullus, *Noli admirari, quare tibi famina nulla, Ruse, velu tenerã supposuisse femur.* sententia autem huius loci hæc est, Hæc vbi dextram corporis partem, seu dextrũ latus, meo lateri læuo supposuit, ita vt hæc mihi sit læua, ego ei dexter: mihi Illiã & Egeriã instar est. Quidam hinc significari putant Veneris modum omnium simplicissimum, ac facillimũ, vel Ouidij iudicio. sic enim ille lib. 3. de arte amandi, *Mille modi Veneris: simplex, minimiq; laboris. Cum iacet in dextrũ semisupina latus* sed, vt cum Ouidio congruat Horatius, legendum videtur, *dextrum corpus mihi læuo.* in Tornes. quidem læuo ascriptum reperi.

NEC VEREOR] quidam libri calamo exarati habent, *Nec metuo.* quod idem valet: & fortasse magis ad hunc locum quadrat.

RECVRRAT] fortasse aliquid de vxoris impudicitia vel per se suspicans, vel etiam ab aliquo domestico, aut vicino certior factus.

IANVA FRANGATUR, &c.] Ianua frangatur à viro redeunte, vel adulterum & vxorem vnã cum eo cõprehendere cupiente, vel eò quod sibi fores tardius aperiãtur, calcib. & faxis eas pullante. *Ianua*, primus est domus ingressus, dicta à Iano, cui omne principiũ dicatum est, vt scribit Seruius quodam loco commentar. in lib. 1. Æneid.

VEPALLIDA] sic restituiimus, auctoritatem veterum lib. Vatic. Iann. Faern. Tornes. & aliorũ omnium, quamuis ve pallida diuisim legatur, secuti. atque hanc scripturam agnoscunt Porphy. & Acron. Et certè sine librorum manu scriptorũ testimonio, ex ipsa orationis structura, atque ex verborum cursu facile erat hoc mendum tollere. nam totus hic sermo est, *ab illis verbis, vir rure recurrit, vsque ad hæc, egomet mi.* vepallidus autem idem ferè valet, quod malè, & miserè pallidus: vel aliquantum pallidus, nam ve, in compositione interdum auget, interdum minuit, vt in his, *vesanus, vecors, vegrandis.* quod proximum nome item emendauimus in oratione de leg. agrar. contra Rull. ad popul. Nam cum antea legeretur in omnibus exempl. vulg. *quem hominem vt grandi macie torridum, siue horridum, &c.* nos viris doctissimis probauimus coniecturam nostrã, quæ est, legendum esse *vegrande.* Pompeius Festus præterea nomine *vegrande*, ait significari vel male grande, vel parum grande. vide eundem in nomine *vesculi & vescus.*

CONSCIA] ancilla, vt fat. 7. lib. 2. *peccati conscia herilis.* animaduerte autem hoc loco esse pulcherrimã antithesim, mulier vepallida lecto desinat: ancilla culpæ herilis conscia, se miserã exclamet: hæc, nempe ancilla, cruribus metuat: illa autem, nempe vxor à viro suo deprehensa, doti. amittebant enim dotem maritæ in adulterio deprehensa. sed eas interficere viro ne deprehensas quidẽ, licebat iure ciuili: patri licebat.

DISCINCTA TUNICA] magna adulteri trepidatio, magnusque timor exprimitur, qui ita vrgeatur à viro, vt discincta tunica, & pede nudo fugere cogatur. Non solebant autem veteres in publicum discincti prodire. notum est illud, *Discincta vestris, discinctus animus.* Postremò milites, qui fugerant, aut, qui flagitium aliquod aliud militare admiserant, discincti sub iugo transire cogebantur.

NE NUMMI PER. AVT PYGA, &c.] id est, ne pecunia multer, neue, si soluendo non sum, pudicitia mihi eripiat, aut ne nateis meas percurrant raphanique, mugilesque, vt ait Catull. aut denique ne damner lege Iulia de adulteriis.

AVT PYGA] pyga, πυγή Græcum nomen est, quod nateis significat. nonnulli codices antiqui habent, *pyge*, Latinis literis scriptum. sic supra eadem Sat. *Depugis.*

FABIO VEL IVD. V.] etiam Fabio iudice obtinebo, miserum esse deprehendi: qui fortasse fuit aliquando deprehensus. quod autem ad loquendi genus attinet, sic loquitur Liuius, lib. 27. *Quem tum principem ciuitatis esse, vel Annibale iudice, victurus esset.* & Horat. Sat. 3. lib. 2. *Vincit enim, stultos ratio insanire nepotes.* & Saty. 3. lib. 1. *Nec vincet ratio, tantumdem vt peccet, idemq;.* &c. C. Matus ad Cicer. epist. lib. 2. *Id quidem me cupere, nisi & anteacta vita, & reliqua mea spes tacente me probat, dicendo vincere non postulo.*

SATYRA 3.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos

Vt numquam inducant animum cantare, rogati:

Iniusi numquã desistat. Sardus habebat

Ille Tigellio hoc. Casar, qui cogere posset, F

Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non

Quicquã proficeret: si collibisset, ab ouo

Vsque ad mala citaret, Io Bacche, modò summa

Voce, modò hac, resonat chordis quæ quatuor ima.

Nil æquale homini fuit illi: sæpe velut, qui

Currebat, fugiẽs hostem: per sæpe velut si Iunonis